

7
*Explicatio
loci Paulini ad Gal. III. 16.*

DE
**CHRISTO,
SEMINE MONADICO
&
PROMISSIONIBUS
ABRAHAMO & HUIC SEMINI
DATIS,**

quam

Deo clementer favente,

SUB PRÆSIDIO

**CHRISTOPH. MATTHÆI
PFAFFII,**

S. Theol. Doct. & Prof. Primarii,

Cancell. & Præpositi Tubingensis,

Abbatis Laureacensis


ad diem IV. Nov. A. MDCCXXIX.

defendet

**TOBIAS WAGNER, Hufanus,
Philosophiæ Magister, & S. S. Theol. in Ill. Stip. Stud.**

TUBINGÆ

impressit **GEORGIUS FRIDERICUS FELICKE.**



10

11

12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100



101



Gal. III. 16.

Τῷ δε Ἀβραάμ ἐρρήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι καὶ τῷ σπέρματι αὐ-
 τοῦ. Οὐ λέγει· καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ'
 ἑνός· καὶ τῷ σπέρματι σου, ὅς ἐστι Χριστός.

h. e.

Abrahamo verò dictæ fuere pro-
 missiones & *Semini* ipsius. Non dicit:
 & *seminibus* tanquàm *de multis*, sed
 tanquàm *de Uno*: & *Semini tuo*, qui
 est Christus.

§. I.



Rduum prorsus & difficile explicatu est oracu-
 lum hoc Paulinum, quod enodare aggredi-
 mur. Differit Paulus de promissionibus Abra-
 hamo & *semini* ejus datis, contenditque, vo-
 cem *seminis* hîc non *collectivè* pro posteritate to-
 tâ Abrahami sumendam, sed *monadicè* de solò
 Messîâ, quia non pluralis אַבְרָם, sed singularis
 אַבְרָם in Ebræâ veritate habeatur. Jam constat

primò, vocem אַבְרָם *semen* in linguâ Hebræâ ut plurimùm non unum

A

ex

ex posteris, sed *posteros* in genere denotare, constat & secundo, in promissionibus illis à Deo Abrahamo datis de multiplicando ipsius & benedicendo semine, de educendo illo ex Ægypto & subjugandis ipsius hostibus, de terrâ Canaan illi dandâ, de gratiâ fœderali Abrahamo & semini ipsius largiendâ vocem *feminis* posteros Abrahami, non unicam saltem personam designare. Hæc cum ἐξ αγώνια, cum extra omnem dubitationis aleam posita videantur, quæritur, quâ salvari possit explicatio Pauli tam paradoxa, ut textibus veteris Testamenti, queis istæ promissiones continentur, conveniat.

§. 2.

Lapsum hîc Paulum Apostolum esse, ex Judæis contendit R. Isaac Abramides in pestilentissimo libro, cui titulus חזק אמונה * Ita verò ille, cum oraculum Paulinum recensuisset: כי

מנהג לך הקודש לדבר על זרע בל' יהוד ושעותו מבואר ממש בתורה בראשית י" כ' את כל הארץ אשר אתה רואה לך אתננה ולזרעך עד עולם: וסמך ליה ושמתי את זרעך כעפר הארץ שהכוונה בו על אומת ישראל ולא על ישו כפי ספרו הנבערה וכן שם טו כתיב ויצא אותו החוצה ויאמר הבט נא השמימה וספור הכוכבים אם תוכל לספור אותם ויאמר לו כה יהיה זרעך: ועוד שם טו ויאמר לאברהם ידוע תדע כי גר יהיה זרעך בארץ לא להם וכן חמצא במקומות

h. e. *similiter circa hunc locum lapsus est Paulus. Fert enim indoles Hebrai sermonis, construere vocem semen cum unitatis numero. Facile autem Paulum erroris convincit id, quod in lege Gen. XIII. 15. scriptum est: Nam totam regionem, quam vides, tibi daturus sum, & semini tuo usque in seculum. Sequiturq, mox comm. 16. & ponam semen tuum velut pulverem terra, qua utiq, gentem Israeliticam, nequaquam autem Jesum respiciunt, ceu ipse ineptissime fuit persuasus. Sic C. XV. 5. legitur: Et eduxit eum foras aitque: Intuere quaeso coelum, & dinumera stellas, si illas poteris numerare, sic, inquit ei, erit semen tuum. Succedit eodem C. XV. 13. Et dixit Abrahamo: Certo scito, peregrinum futurum semen*

* edit. Amstel. p. קכא col. 1.

men tuum in terrâ alienâ. *Similes locutiones passim reperire est, sed vel his sapientibus sat.* * Hæc vafer Apella.

§. 3.

Parum abest, quin eadem sit sententia Hieronymi, qui & aliàs Paulo Apostolo iniquior fuit. Ita enim ille in comment. ad h. l. *Apostolus, qui omnibus omnia factus est, ut eos lucrifaceret, debitor Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus, Galatis quoque, quos paulo ante stultos dixerat, factus est stultus. Non enim ad eos his usus est argumentis, quibus ad Romanos, sed simplicioribus & quæ stulti possent intelligere & penè de trivio. Quod ne videretur imperitiâ & non arte fecisse, prudentem placat ante lectorem, &, quæ dicturus est, temperat præfatione præmissâ: Fratres, secundum hominem dico, quod enim dicturus sum, non dico secundum Deum & quæ sequuntur. Addit: Omnes scripturas sensu & memoriâ peragrans nunquàm plurali numero semina scripta reperi sed semper singulari numero Unde manifestum est, id fecisse Apostolum, quod promisit, nec reconditis ad Galatas usum esse sensibus sed quotidianis & vilibus & quæ possint, (nisi præmississet: secundum hominem dico) prudentibus displicere. Hæc, sed perperam, Hieronymus.*

§. 4.

Adjungi potest Jo. Clericus & Polyhistor Amstelodamensis longè doctissimus. Hujus hæc verba sunt in additionibus ad Hammondum, ad h. l. ad verba, *ὁ λέγει, ὃ τοῖς σπέρμασι.* Omnino existimârim, hanc fuisse vulgò receptam ratiocinationem in מורשים seu in allegoricis interpretationibus illius ævi. Certè poterant eâ uti Judæi contra Arabes, Idumeos & Samaritas, qui se etiam posteros Abrahami esse jactabant, ut ostenderent, ad eos non pertinere promissa Abrahamo & ejus semini facta. Nam, si in se spectetur, firma esse nequit apud aliter sentientes, quia *עץ* semen est nomen collectionis significatq, quosvis posteros, plurium licet generum. Imò vero, ut observârunt eruditi, non solent Hebræi unquàm uti voce *עצים* in plurali, nisi ad significandas sementes variarum plantarum. Verùm satis

A 2

est,

* Vide Wagenfeilium in telis igneis Satanæ p. 468. 469. & Gussertium in שמש צדקה f. 442.

est, firmam habitam fuisse eam argumentandi rationem apud Judæos, ut eâ contra illos uti posset, licuitq; Paulo, quod illi in gratiam Israël secundum carnem dicere solebant contra Arabes, Idumæos & Samaritanas, proferre in honorem Israël secundum spiritum, ut Judæos carnales suo sibi gladio jugularet. Jam antea observavimus, Paulum ex Judæorum opinionibus contra eos ratiocinari, eruntq; alia ejus rei in hâc epistolâ exempla. Hæc Clericus, qui eadem repetit in notis Gallicis ad h. l. Scilicet putat ille, urgere hæc Paulum contra Galatas saltem καὶ ἀνθρώπων Gal. III. 15. ex explicatione dictorum V. T. ab ipsis receptâ, non quod ipsa rei veritas ita postularet, atque imitari hic Doctores Judæorum, qui, licet dissuadente contextu, literam verborum sic obtorto collo premerent, & ad ἀλληγοίας suas sensumque peregrinum raperent. Quod si ita est, argumenta sanè in libris novi fœderis ex veteri Testamento depromta omne robur suum nativum & insitum perdunt, cum ejusmodi ferè omnia sint.

§. 5.

Periculosior hæc sententia videri possit, si consideraverimus, cel. Clericum ista quoque Geneleos loca, queis dicitur, *in Abrahamo & illius semine omnes gentes benedicendas, vel sibi benedicturas ipsas esse*, ad suum sensum detorquere, alienum ab illo, quem nos sequimur.* Scilicet hæc ipsi mens sedet, φεῖσθαι illam haud indigitare, quod per Messiam, semen Abrahami omnibus gentibus sit benedicendum, sed quod à felicitate posterorum Abrahami gentes formulam benedictionis sint sumturæ, ita, ut, si felicitatem alicui summam apprecari quis voluerit, dicturus sit: *felicem te præstet Deus, sicut Abrahamum ipsumq; posteros.* Vide Gen. XLVIII. 20. uti & XXVIII. 4. Jerem. XXIX. 22. Eandem explicationem sequuntur Judæi & nominatim R. Salomo Ben Melech ad Gen. XXII. 18. & R. Salomo Jarchi ad Gen. XII. 3. ut alios taceamus. Jam verò, si hæc explicatio locum obtinet, haud asseri poterit, Abrahamiticæ fidei ejusdemque justificæ objectum fuisse Christum, quod tamen passim Paulus Apostolus urget & ex Gen. XV. 6. urget Rom. IV. 3. Gal. III. 6. cum fides justificæ Abrahami pro objecto habuerit sic saltem omnipotentiam benevolamque voluntatem divinam, femen

* Vide illum ad Gen. XII. 3.

femen ipsius, non obstante ejusdem & uxoris Saræ provectâ ætate, in immensum multiplicaturam. Itaque, cùm fides Abrahami in exemplum nobis proponatur, sub semine hoc opus est, ut quàm maximè intelligatur Messias, in quo omnes gentes erant benedicendæ.

§. 6.

Supereft alia adhuc, quæ textum nostrum premit, difficultas. Dicuntur heic promissiones factæ Abrahamo & semini ipsius. Si semen hoc monadicum sit, ipse Messias, Christus, intelligi quidem potest, quî in Christo promissiones sint factæ Abrahamo & fidelibus, non quî promissiones eadem Abrahamo & ipsi Christo factæ fuerint. Ita & arduum est, determinare, ad quasnam promissiones Abrahamo factas, plures enim ipsi factæ fuere, digitum heic Paulus intendat. Agedum, explicemus verba Apostoli, ita, ut nodi hi dissolvantur.

Τῶ δὲ] Apostolus Paulus, probaturus, non ex operibus legis sed ex fide in Christum justificationem sequi, provocat ad exemplum Abrahami, cui ante legem datam ob promissiones à Deo ipsi factas & fide ab ipso apprehensas justitia sic contigerit. Et has promissiones ait deinceps per legem haud abrogatas fuisse, quod forsan caussari hic potuissent Ἰσραήλιτες.

Ἀβραάμ] Abrahamo, tanquam Patri credentium Rom. IV. 11. 12. 16. Gal. III. 7. 8. 9. nullo ex proprio merito suo, sed gratis. Ridiculum est, quod hinc arguit Val. Schmalzius de divinitate Christi C. 2. p. 3. sqq. & in disput. contra Franzium p. 95. 96. Adamo nullas promissiones fuisse datas, quia hic Abrahamo datæ dicantur. Jam enim & Adamo fuit promissum semen monadicum Gen. III. 15. Vide Brochmandi syst. Theol. Loc. XIX. de Evangelio C. 2. qu. 7.

ἔρρηθησαν αὐτῷ ἐπαγγελίας] Constat ex Genesi, varias Abrahamo promissiones datas. Hebr. VI. 15. VII. 6. IX. 17. Generales promissiones hæ sunt: *Ego tibi clypeus sum & merces oppido amplissima.* Gen. XV. 1. & Gen. XVII. 7. *Erigam fœdus meum inter me & te & inter semen tuum post te secundum ætates eorum, ut sit fœdus æternum, ut sis tibi in Deum & semini tuo post te.* Speciales promissiones

missiones sunt I. ipsum typum & exemplar benedictionis omnibus gentibus, magnumque ipsius eapropter nomen fore, *in ipso enim omnes gentes benedicendas esse*, Gen. XII. 2. 3. XVIII. 18. non ob ipsius propria merita, uti explicant Judæi בוכות אברהם, sed ob Messiam ex lumbis ipsius olim proditurum, & exemplum fidei, quod sic præbiturus esset gentibus, tanquam caput, dux & pater credentium. Vel sensus fuerit, *cum* Abrahamo gentes benedicendas esse Gal. III. 9. cum ☩ Hebræorum quandoque idem sit ac *cum*, ut Exod. VIII. 1. XV. 19. Vide Noldii concord. partic. Ebr. p. 147. sqq. II. semen ipsius in immensum multiplicatum & benedictum iri Gen. XII. 2. XIII. 16. XV. 5. XVII. 4. sqq. XVIII. 18. Hebr. VI. 13. 14. maximè illud Isaaci Gen. XXI. 12. III. eductum idem iri ex captivitate Ægyptiacâ Gen. XV. 13. 14. IV. possessurum esse terram Canaan Gen. XII. 7. XIII. 14. sqq. XV. 18. XVII. 8. V. tale illum quoque habiturum semen, in quo benedicendæ, & sibi benedicturæ sint omnes gentes. Gen. XXII. 17. 18. quæ eadem promissio data quoque fuit Isaaco Gen. XXVI. 4. & Jacobo Gen. XXVIII. 14. Quæritur jam, ad quasnam promissiones hîc præcipuè respiciat Paulus? Sunt, qui putant, ad Gen. XVII. 7. hîc respici, uti Beza ad h. l. & Witius in Oecon. fœd. Dei L. IV. C. 3. §. 18. Alii ad Gen. XII. 7. XIII. 15. verba referunt, uti Franc. Junius in parallelis & Franc. Gomarus ad h. l. agentes, requirere id locum parallelum Rom. IV. 13. promissionemque istam historicam fuisse de terrâ Canaan, & historicè quoque adimpletam in posteritate Abrahami Deut. XXXIV. 4. sed typicam de hæreditate totius mundi & regni cœlorum & typicè quoque adimpletam in Christo Rom. IV. 13. Pf. II. 8. Luc. I. 32. Matth. XXVIII. 18. & fidelibus 1. Cor. III. 22. 23. Denique alii & rectè quidem has *ἰσαγγελίας* referunt præcipuè ad illa verba, ubi dicitur, *in Abrahamo*, maximè verò *in semine ejus benedicendas esse omnes gentes*. Ita ex antiquioribus Chrysostomus, Theodoretus, Augustinus, ita recentiores plerique. Et hæc benedictio spiritualis est, nonnisi à Messîâ Redemptore oriunda. Eph. I. 3. Objicit quidem Franc. Junius l. c. Paulum dicere, promissiones has, de quibus hic Paulus, factas esse Abrahamo & *semini ipsius*, cum Gen. XXII. 18. saltem dicatur, *in semine Abrahami omnes gentes benedicendas esse*, & sic

fic magis Abrahamo & gentibus, quam semini, promissio heic facta sit. Sed facilis est responsio, Deum, dum promisit Abrahamo, quod per ipsius *semen* benedicendum sit omnibus gentibus, & *ipsi semini* hoc promississe. Taceo ea, quæ mox ad vocem proximam dicentur.

καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ] Sunt, qui putant, particulam ἐν hic ελλείπειν, & Paulum dictum velle, καὶ ἐν τῷ σπέρματι αὐτοῦ, ut Gen. XXII. 18. eò magis huc quadrare videatur. Ita Kromayerus in epist. ad Gal. ad h. l. p. 216.* Alii existimant, hanc præpositione opus non esse, cum antiqui codices Græci Veteris Testamenti Gen. XXII. 18. ponant: ἐν ἀλογηθῆσονται τῷ σπέρματι σε πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς. Ita Heinsius in exercit. sacris ad h. l. f. 448. & quidem rectè juxta allegationem Act. III. 25. Ast non opus est, ut jam diximus, his effugiis. *Ipsi semini* hoc quoque promissum fuit, in Ipso benedicendas esse omnes gentes vocandasque & salvandas. Quod dum dicimus, notamus 1. vocem τῷ in Ebræo idiomate sæpius pro unâ saltem personâ sumi Gen. III. 15. IV. 25. XV. 3. XXI. 12. 13. XXXVIII. 8. 9. Deut. XXV. 5. coll. Matth. XXII. 24. Marc. XII. 19. Luc. XX. 28. 1. Sam. I. 11. 2. haberi & pluralem טוֹרֵי 1. Sam. VIII. 15. qui & in codice Talmudico I. טוֹרֵי celebratur, 3. Hebraismum hunc esse, quo σπέρμα pro posteris sumitur, etsi & loca similia apud Græcos scriptores inveniantur, quæ huc trahi possint. Vide Gatakerum de Novi Testamenti stylo contra Pfochenium C. XI. Opp. T. 1. col. 71. Vorstium de Hebraïsmis N. T. P. 1. C. 3. p. 81. 82. & Olearium de Græcismis N. T. sect. didact. membro 1. aph. 2. §. 3. 4. *Semen hoc*, quod Gen. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. memoratur, juxta Gen. III. 15. 2. Sam. VII. 12. Pl. XXI. 7. LXXII. 17. LXXXIX. 5. 37. coll. Joh. XII. 34. Joh. XII. 24. Act. III. 25. 26. Rom. IV. 13. Gal. III. 14. 17. 19. Hebr. II. 16. esse המיוחד *semen monadicum*, Messiam. Certè ad ista loca V. T. exstantissima sanè, tanquam parallela simul respexisse Paulum, dubio caret. Nec abludunt hæc à sententiâ veteris Ecclesiæ Judaicæ, quam hic sequitur Paulus. Ita enim in Rabbot ad Gen. IV. 25. XIX. 32. & in Midrasch Ruth ad IV. 19. expressè dicitur

* Et sanè sæpius deficit ἐν. Vide loca quàm plurima citata à Noldio in concord. partic. Ebr. p. 171. 173. 175.

citur זרע שהוא בא ממקום אחר ואי זה זה בלד המשיח *Semen, quod aliunde venit, & quodnam illud? Est Rex Messias**, unde pater, Regem Messiam antiquis Judæis כא' זרעו dictum esse semen, uti Gen. III. 15. *semen mulieris* dicitur. Et omnes gentes juxta Ps. XXI. 7. LXXII. 17. in Messia benedicendas esse, exstat in Midrasch Tilmim ad h. l. observante Gebhardi loco 90. contra R. Isaaci munimen fidei p. 215. Adde Rich. Kidderi, Episcopi Bathoniensis & Wellensis demonstration of the Messias P. 2. p. 256. Jam verò si s. Messia, tanquam semini Monadico & exochico Abrahami facta fuere hæc ἐπαγγελία, ut in ipso & propter ipsum (ב enim & propter significat Gen. XXIX. 18. Deut. XXIV. 16. Ps. LXXII. 17. **) benedicendæ gentes sint, constat & ex hoc loco pactum inter Deum Patrem & Filium, ubi sub conditione redimendi generis humani data fuere Filio Dei, Messia illi, amplissimæ promissiones, de dandis ipsi in hereditatem gentibus***, de salvandis, qui in ipsum erant credituri, de exaltatione ipsius supra omne nomen, & evehendâ ad summæ gloriæ usum humanâ naturâ &c. Atqui & hoc pactum inter Deum Patrem & Filium, de quo maximè Ps. II. XL. LXXXIX. cognitum fuit antiquæ Ecclesiæ Judaicæ, uti constat ex Pesikta Rabbeta fol. טו col. 1. med. & Jalkut Simeonis ad Jes. LXI. 1. edit. Cracov. fol. יב col. 3. med. edit. Livorn. f. צד col. 4. med. itemque ex Bereschit Rabba R. Mosi Haddarschan, & ex ספר אבקה וכול, quæ loca referunt Raym. Martini in pugione fidei P. 2. C. 11. §. 16. fol. 416. 417. Pet. Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis L. 8. C. 11. col. 460. 461. Buxtorfius in historiâ arcæ fœderis C. 14. p. 138. sqq. Hulsius in Theol. Jud. p. 308. sqq. Cartwrightus in mellificio Hebraico L. 1. sub finem, Esdras Edzardus in consensu antiquitatis Judaicæ cum explicatione Christianorum f. 1. sqq. & Braunius in Comm. in Epist. ad Hebr. p. 634.

* Ita quippe olim R. Tanchuma & R. Moses Haddarschan. Allegari hæc loca videas quoque à Raymundo Martini in pugione fidei P. 2. C. 7. §. 4. ubi adde notam Josephi de Voyfin, & P. 3. dist. 3. C. 8. §. 4. Imo Paulinam explicationem sequi etiam Judæos, Huëtius ex libro Chafidim R. Samuelis probare conatur in demonstr. Evang. prop. 7. §. 7.

** Vide Noldium in concord. dartic. Ebr. p. 159. 160.

*** Ps. II. 8. Confer Vitrinam in observ. sacris L. V. C. 5.

634. sqq. itemque Læfclerus in explanatione parabolæ de patrefamiliâ & operariis in vineâ p. 231. 232. Itaque 6. non opus est, ut per *Semen* hîc intelligamus vel Christum cum Corpore suo mystico, h. e. Israële secundum spiritum, vel Corpus Christi mysticum, h. e. Ecclesiam solam, vel Isaacum cum posteris quoad sensum literalem & quoad mysticum Christum cum fidelibus, etsi suadere hoc videatur Rom. IV. 11. 16. 17. IX. 7. 8. maximè Act. III. 25. Imò falsa est, uti ex jam dictis patet, hæc interpretatio, cum *in solo Christo* benedicamur Eph. I. 3. non in fidelibus vel Ecclesiâ, quæ ipsa hæc benedictione opus habet & in gentibus benedicendis consistit, cum & singularis numerus pressè hîc sumendus veniat, qui tantâ cum ἐμφάσι plurali hîc opponitur. Defendimus hanc interpretationem nostram de semine monadico contra Calvinum, Bezam, Crellium, Gomarum *, Cameronem **, Gatakerum ***, Rivetum ****, Coccejum, Hammondum, Witsium *****, Mommam *****, Lockium *****, Clericum, Bellosobrium & Infantium, alios quàm plurimos. Conferri hîc meretur Balduinus ad h. l. qui Calvinum & Bezam refutat p. 803. Sed adde tamen & Crocium ad h. l. f. 68. & Jægerum in tr. de fœdere gratiæ p. 68.

ἐ λέγει] Scilicet ὁ Θεὸς vel ἡ γενεὰ. Communis hæc allegandi in sacris formula est. Vide Guil. Surenhusii βιβλον καλαλλαγῆς L. 1. de formulis allegandi thesi 4. 11. 13. 14. 15. 17. 23.

καὶ τοῖς σπέρμασιν ὡς ἐπὶ πολλῶν] ἐν ἀλογηθήσονται πάντα τὰ ἔθνη. Act. III. 25. Nota, Abrahamo varia adscribi semina in sacris. Ita primò Ismaël fuit semen Abrahami Gen. XXI. 13. Unde & illi

B

magnæ

* in explic. epist. ad Gal. ad h. l. Opp. T. 1. f. 510.

** in Myrothecio Evangelico ad h. l.

*** ad Marcum Antoninum de rebus suis L. 7. §. 13. Opp. T. 2. f. 211.

**** in exercit. 37. ad Gen. III. 15. Opp. T. 1. f. 149. quamvis aliter deinceps & rectè sentiat ad Gen. XXII. exerc. 109. f. 422.

***** de œcon. fact. Dei L. 4. C. 3. §. 18.

***** in expos. anal. in epist. ad Gal. p. 724. & in œcon. temp. test. L. 1. C. 7. §. 18.

***** in the paraphrase and notes on the Epistle of St. Paul to the Galatians p. 21. ubi: *So that unto thy seed design'd Christ and his mystical body, i. e. those that become members of him by faith.*

magnæ promissiones, sed carnales factæ fuere. Gen. XVI. 10. XVII. 20. Sed non fuit ille *semen promissum*, ex quo Messias erat nasciturus. Hoc quippe *semen* fuit Isaac, unde dicitur: *In Isaac reputabitur tibi semen* Gen. XXI. 12. Porro Abrahamus habuit filios & carnales & spirituales. Carnales, qui saltem secundum carnem illum Patrem agnovere, uti Ismaelitæ, Idumæi &c. imò & Judæi carnales Matth. III. 9. spirituales, qui fidem ipsius imitati sunt Rom. IV. 11. 12. IX. 7. 8. Gal. III. 7. 9. IV. 28. licet quoque ex ipso haud prognati essent, uti fideles ex gentibus, Rom. IV. 16. 17. ad quos & solos spectabat benedictio & salus. Est, qui existimet, hoc ipso Paulum retundere superbiam Judæorum carnalium, profapiam ex Abrahamo jactantium*. Joh. VIII. 33. 37. 39. 44. Rom. II. 25. sqq. Quod restat, omnia hîc σπέρματα tum carnalia, tum spiritualia excluduntur, cum τὰ πολλὰ σπέρματα unī σπέρματι monadico opponantur ab Apostolo, illi, ᾧ ἐπήγγελται, cui promissio de benedicendis per ipsum gentibus facta est comm. 19.

ἀλλ' ὡς ἐφ' ἐνός · καὶ τῷ σπέρματι σα] Benè monet Surenhusius in βιβλῳ κατὰλλαγῆς, ubi agit de modis allegandi scripturas sacras, thesi 22. p. 84. sqq. fuisse hunc morem priscorum Ecclesiæ Judaicæ Doctorum, singularem vel pluralem numerum in dictione premere, ad certum quoddam dogma inde extrahendum. Adde eundem p. 573. sqq. ubi oraculum nostrum hâc ratione contra Judæos & Hieronymum vindicat.** Scilicet semen Abrahamæ, cui promissio fuit facta, à Deo fuit restrictum primò exclusis filiis Abrahami ex concubinis natis, ad Isaacum Gen. XXI. 12. XXVI. 4. dein excluso Esavo, Isaaci primogenito ad Jacobum Gen. XXVIII. 14. postea exclusis cæteris Jacobi filiis ad Judam Gen. XLIX. 10. deinceps exclusis aliis posteris Judæ ad Davidem 2. Sam. VII. 12. 1. Chron. XVII. 11. Act. XIII. 22. 23. Rom. I. 3. 2. Tim. II. 8. Hebr. VII. 14. Apoc. V. 5. XXII. 16. unde & Davidis nomen ipse gerit Jes. LV. 3. Jes. XXX. 9. Ezech. XXXIV. 23. XXXVII. 24. 25. Hof. III. 5. ac tandem ad unum certum
Indi-

* Ita Camero in Myrothecio ad h. 1.

** Ita sanè sapius rationem numeri in sacris premendam & rectè quidem docet Placæus Operum T. 2. p. 707.

Individuum ex Virgine, quæ erat è posteritate Davidis, oriundum
Ei. VII. 14. Confer Ravanelli Biblioth. sacram P. 2. f. 1036. 1037.

ὅς ἐστὶ] Ἄστ σπέρμα est generis neutrius. Cur itaque non exstat
ὁ ἐστὶ. Respondet Beza, τὸ ὅς non esse referendum ad σπέρματι, sed
ad ἐνός. Sed ita nulla constructioni medela affertur, cum & ἐνός sit
neutrum, & subaudiatur σπέρματι. Rectius alii, esse hanc constru-
tionem apud scriptores & Græcos & sacros usitatam, ut pronomen
relativum subinde non ponatur in genere substantivi præcedentis, sed
sequentis. Exempla vide apud Glassium in Philol. sacrâ L. 3. tr. 2.
can. 18. Ita ἐτέρωσι generis in sacris quoque frequens est. Exem-
pla dedit Fesselius in advers. sacris L. X. C. 2. p. 508.

Χριστός] Messias. Prorsus contortum hoc est, per *Christum*
hic Corpus Christi mysticum, Ecclesiam cum Christo capite illius in-
telligere. Etsi enim huc trahatur locus 1. Cor. XII. 12. ubi verò
haud existimaverim, opus esse, ut per *Χριστόν* Corpus Christi mysticum
intelligatur, etsi & comm. 27. 28. itemque Eph. II. 14. omnes fide-
les dicantur unum in Christo, quem per baptismum induerunt, etsi
etiam simus cohæredes Christi Rom. VIII. 17. Hebr. I. 2. etsi sub
unum caput Christum redacti simus Eph. I. 10. ut ipsius Corpus Rom.
XII. 5. 1. Cor. X. 17. XII. 12. 27. Eph. I. 23. IV. 4. 15. 16. Col.
II. 19. tamen per vocem *Χριστός* ipsius Ecclesia huc non intelligitur,
utpote in quâ non benedicuntur gentes, benedicendâ ipsâ & ex gente
benedictâ constante.

§. 7.

Jam ex hâc effati Paulini explicatione, ut arbitror, facile dissol-
vi possunt adversariorum, qui hoc oraculum suggillant, objectiones.
Scilicet, etsi vox *עַרְוָה* & posteros collectivè significet, unam tamen
personam & subinde significat, etsi & *עַרְוָה* de hominibus nullibi in
V. T. dicatur, dici tamen poterat, cum vox pluralem admittat, etsi
vox *עַרְוָה* in promissionibus Abrahami datis de ipsius posteris in genere
sumenda subinde sit, in immensum multiplicandis, digitus tamen
quàm maximè intenditur in *semen* istud *monadicum*, quod est Messias,

B 2

in

in quo *solo* omnes gentes erant benedicendæ , Gen. III. 15. XXII. 18. Eph. I. 3. etsi denique in textu exstet *τῷ σπέρματι*, tamen & Filio Dei, sponsonem pro genere humano suscipienti factæ fuere promissiones de genere humano per ipsum benedicendo, nec populus Israëliticus, Abrahami posteritas, esse potest semen illud, in quo gentes benedicendæ sunt. Nec formula quoque benedictionis à gentibus potest desumi à posteritate Abrahami, tot malis corporalibus & spiritualibus & olim & nunc pressâ, quod haud abs re monet Jac. Guffetius in שמש צדקה f. 444. 445. Neque etiam phrasis *in semine tuo benedicentur* præcisè formulam benedictionis istam infert, sed rectè in nostrâ sententiâ explicatur juxta Jes. LXV. 16. ubi *יתברך באלהי אמן* *benedicet sibi in Deo Amen*, à quo sola vera benedictio dimanat. Hinc & R. Salomo Ben Melech, Targumistas secutus ad Gen. XII. 3. non existimat, hic formulam benedictionis verbis *בברכו בך* innui, sed sensum esse, & *benedicentur בוכחותך* *propter sanctitatem tuam, non ob propria merita*, Gallicè, *ils seront benoits pour toi*, etsi Gen. XXII. 18. verbis *ותברכו בורעך* formulam benedictionis per hitpaël innui putet, quod tamen loco citato Jes. LXV. 16. adversum est. Atque ex his jam intelligere est, qualenam fuerit objectum fidei Abrahamiticæ, ubi fidem is suam adjecit promissioni divinæ de semine ipsius multiplicando, quâ fide & justificatus est, Pater sic omnium credentium futurus, eâdem fide justificandorum, non sanè sola veritas & omnipotentia Dei, non solus assensus promissioni divinæ in genere datus, sed ista maximè fiducia, quâ firmiter persuasus, multiplicandum semen suum, & ex hoc semine oriturum semen monadicum Messiam, benedictionis spiritualis omnis & salutis autorem, ipse quoque hanc benedictionem & justitiam Messie Jer. XXIII. 23. amplexus est. Nisi enim semine hoc suo & ipse benedictus fuisset, justus reputari haud potuisset. Unde, quæ exstat Gen. XV. 5. promissio, ex promissione Gen. XXII. 18. exstante, ubi plenior occurrit illa, judicanda est. Et quidni objectum fidei Abrahamiticæ fuerit Messias? *Diem illius* tum in promissionibus ipsi dictis, tum in Isâaco sacrificando, illius typo, tum in apparitionibus Filii Dei ipsi factis, tum denique in cœlis, cum nasceretur ille, *vidit Abrahamus & latatus est.* Joh. VIII. 56. Hinc *Pater credentium* & quod idem dicit, *hæres mundi* dicitur, hinc fides ipsius in exem-

exemplum nobis proponitur, hinc & cœlestem patriam quæsit, civitatem, cujus Architectus Deus, quæ per Messiam, in quo erat benedictus & ipse Gal. III. 9. Hebr. VII. 6. erat acquirenda & ipsi adjudicanda. Confer Rom. IV. 11. sqq. Gal. III. 6. sqq. Ebr. XI. 8. sqq. Hæc Paulus θεός & infallibilis Oraculorum divinorum interpretres nos edocuit.

§. 8.

Si itaque argumentum Pauli in nervum contraxerimus, hoc ferè fuerit Viri sancti ratiocinium: *Si ne humana quidem dispositio contemnitur, sed sanctè potius, uti maximè in testamentis fit, observatur, opus sanè est, ut valeant quoq; promissiones ante legem Sinaiticam Abrahamo & Semini ejus, Messia data, fœderales illæ, de gratiâ divinâ Abrahamo & posteris ipsius ob Messiam dandâ, & de benedictendis in Abrahamo & Semine ejus Monadico gentibus iisq; per Semen hoc salvandis, quæ ipsa promissiones & ipsi huic Semini data fuerunt. Stantibus verò hisce promissionibus Abrahamus non per legem, nondum tunc latam, sed per Evangelium justificatus fuit, cum nempe promissionibus hisce fidem adhiberet, & latentem in ipso illo Semine Monadico benedictionem eadem illâ fide amplecteretur, exemplum sic omnibus fidelibus praiturus.* Hæc ita Paulus, invictum pro justificatione ex fide argumentum sic Galatis heterodoxis opponens.

EPILOGUS.

Quod restat, non infrequens est Veteri Testamento, Filium Dei, Messiam Semen nominare. Ita enim in Protevangelio Gen. III. 15. quod effatum ad tempora Messia referendum esse olim jam statuit Ecclesia Judaica, uti ex Targumim, Hierosolymitano & Jonathanis Uzielidis liquet, *semen mulieris* eapropter quoque nuncupatur, quod non ex Viro, sed saltem *ex muliere* debebat nasci Jes. VII. 14. Gal. IV. 4. Scilicet per *semen mulieris* nonnisi Christum, semen monadicum intelligimus, spirituali hujus semine, quod sunt fideles Ps. XXII. 31. LXXII. 17. LXXXIX. 30. CII. 29. Jes. LIII. 10. Rom. IV. 16. IX. 7. 8. non computato, aliter licet sentiant Romanensium & Reformatorum pars major. Etsi enim semen mulieris semini serpen-

pentis collectivè sumto hìc opponatur , etfi & fideles quivis semini serpentis sint inimici , etfi & illi conterant Satanam sub pedibus suis , eumque vincant Pf. XCI. 13. Luc. X. 19. 1. Joh. II. 13. 1. Cor. XV. 57. Apoc. XII. 11. etfi & calcaneum fidelium lædat Satanus , etfi denique videatur consolationis amplior vis , si etiam fideles de victoriâ contra Satanam ita certi sint , ut & in ejus communionem veniant , per semen mulieris tamen solum Messiam intelligimus , utpote qui solus conterere caput Diaboli potuit , ut *θεάνθρωπος* , *ἰσχυρότερος* ille Luc. XI. 22. nullosque hìc admittere socios potest , solum omnis illius consolationis , quæ Protoplastis dari tum poterat , fundamentum. Scilicet aliud est , conterere diabolum , aliud contrito jam satanæ insultare per Dei gratiam Rom. XVI. 20. Apoc. XII. 11. aliud est vincere , aliud victoriâ per Christum partâ frui 1. Cor. XVI. 57. Hinc & ex Reformatis Moses Amyraldus Friderico Spanhemio hìc contradixit , uti videre est ex hujus exercitationibus de gratiâ universali p. 177. sqq. 224. sqq. eandem Amyraldi sententiam etiam defendente Jac. Cappello ad Gen. III. 15. operum Cappellianorum f. 587. Vide ex nostris Glassii Philol. sacram in disp. de Protevangelio , quæ addita est L. IV. tr. 3. ejusdemque Christologiam Mosaicam diss. 2. ad h. l. P. 1. §. 9. sqq. p. 60. sqq. Gejeri diss. de Protevangelio in abusu 4. opuscul. Philol. p. 322. sqq. Dannhaveri hodom. spir. Calv. P. 2. p. 1445. sqq. & anti-Christosophiam p. 188. sqq. itemque Majum in Diss. sel. loco 7. §. 9. p. 481. sqq. Loco Gen. III. 15. accedant loca 2. Sam. VII. 12. Pf. LXXXIX. 5. 37. quem Psalmum contra Sal. van Til literaliter de solo Messia agere ostendit in diss. 2. 3. 4. de clangore Evangelii Jo. d' Outrein , & juxta quosdam Mal. II. 15. ubi *זרע אלהים* *semen Dei* , quod quærivisse dicitur interpretibus Abrahamus , Messias videtur appellari. Ita Lutherus in versione Germanicâ : *er suchte den Samen von Gott verheissen*. Ita & ex Judæis quidam apud Raym. Martini in pugione fidei P. 3. dist. 3. C. 8. §. 4. f. 758. editionis Carpzovianæ. Hinc & dicitur virga , germen , fructus terræ , radix Num. XXIV. 17. Jes. IV. 2. XI. 1. LIII. 2. Jer. XXIII. 5. XXXIII. 15. Ezech. XXXIV. 29. Zach. III. 8. VI. 12. Apoc. XXII. 16.

Sed hæc sufficiant.

F I N I S.

licenda, Gen. III. 15. ...
 tet τῆ ἀρχῆς, tamen ...
 o suscipienti facta fuere pro
 medicando, nec populus ...
 semen illud, in quo gen
 te benedictionis à genitri
 nalis corporalibus & spiri
 abs re monet Jac. Gale
 phrasia in semine ...
 am infert, sed recte in
 bi יונק בארץ אמר
 iōtio dimanat. Hinc &
 s ad Gen. XII. 3. non ex
 נברו innui, sed sensum
 m tuam, non ab propria
 efi Gen. XXII. 18. verbi
 mitpaël innui putet, quæ
 est. Atque ex his iam in
 Abrahamitica, ubi fidei
 sus multiplicando, quæ
 redentium fururus, e
 s & omnipotentia De
 ere datus, sed ista man
 candum semen suum, &
 Messiam, benedictione
 que hanc benedictionem
 s est. Nisi enim semine
 vari haud potuisset. Ubi
 missione Gen. XXII. 18.
 ada est. Et quidam ebo
 em illius tum in promiss
 , illius typo, tum id
 e in oculis, cum nascen
 VIII. 56. Hinc Pau
 undi dicitur, hinc adp

